

gratia divina ex Voluntate DEi consequente ablata] illorum  
Conversionem Deus per Prædicationem verbi sui non amplius  
intendit, voluntate scil. judiciaria quæ cum prævisa contu-  
macia perseverante incipit:

At qui Indurati perseveranter & finaliter tales. &c.

Ergo.

Hac ratione concedimus, totum argument. invito licet Niehenckio,  
qui ad *Minorem* multa sine ratione garrit, quæ sæpius & ad nauseam usq;  
diluta sunt.

*Primum* est, quod Calviniani eodem dicto utantur, quando probar e  
volunt, DEum esse causam Indurationis. Verum qualis consequentia?  
Duo cum faciunt idem non est idem: Quia modus quo Calviniani [teneor  
loqui stylo nostri Antagonistæ] loco isto utantur, diversus est a modo, quo  
nos utimur isto. Illi ut DEum causam Indurationis principem & efficien-  
tem faciant, quod falsum; Nos vero DEum veneramus hac in parte saltem  
ut justum judicem, qui manum suam s. gratiam subtrahit, quo minus pos-  
sint credere. Explicat modum Indurationis a parte DEi adh. l. D. *Osiander*  
*in Gloss. lat.* p. m. 292. seqq. vid. *Hunnium & Tarnovium* in hunc  
locum sæpius allegatum in *additament. 7. & 12. D. Rechenbergii.*

*Secundum* est, quod neq. DEus neq. Prædictio prophetica pro causa  
infidelitatis & indurationis haberi debeant &c. p. 22.

Resp. Quasi Deus, ejusdemq. prædictio, pro causa indurationis no-  
bis essent, hæc insipida calumnia sæpius est profligata? adeo ut non opus sit  
coccyfinis, qui in chartis Niehenckianis subinde sonant. Unicum ad hoc  
moneo: DEum ut judicem pluribus adhuc modis concurrere ad induratio-  
nem ut pœna est, quod Niehenckius p. 22. non negat, Deum frena diabo-  
lo ac homini relaxare &c. Id quod *B. Höpfnerus*, Superint: Lipsiensis or-  
thodoxus, in *peculiari dissertatione de Induratione*, satis prolixè dedu-  
xit, *Thess. 61.* seqq. Quis nostrum est, qui illud in Textu cit. *iva esse causale*  
pronunciaverit? Profecto nos idem docemus, quod *B. Dorischeus* ad hunc  
locum in *Disp. X. ad Exod:* p. m. 247. το ἰνα sumi ἐκβατικῶς, & bene expo-  
ni, per *at q̄, ita.* Imo illud *ἐκ ἠδύνατο v. 39.* non ad causæ superioris  
prædominium & determinationem spectat, sicq; non notat impotentiam  
desuper illatam; Sed indispositionem & intentionem sponte contractam.  
Quod Niehenckius ex Theologis Rostochiensibus veteribus discere potest.

*Tertium* est, quod Verba: *Non poterant credere*, commode hic

C

posse